Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Ord. Philos.
1642 r.

6.

Racki Joan. Ver florentis Poloniae
in Jagellonicano Almae Univ. Cracov.
Lyceo celebratum.

VER FLORENTIS POLONIÆ,

In Iagelloniano Almæ Vniuersitatis Crac: Lycæo

CELEBRATVM

DVM

Venerabiles Duode-quadraginta Viri, Secundæ Laureæ in Artibus & Philosophia

CANDIDATI

A Clarissimo et Adm: Rndo Domino,

D. STANISLAO PVDŁOWSKI,

I. V. D. & Professore, Protonotario Aposto. Præposito S. NICOLAI, Acad: Cracou: PROCANCELLARIO longè dignissimo publice ritu solenni

In Frequentissimo celeberrimorum Hospitum consessu Artium & Philosophiæ

LICENTIATI

renuntiarentur

A IOANNE RACKI, eiusdē Laureæ Candidato honoris & obseruantiæ ergo. D. D. D. D.

Anno Instauratæ Salutis 1642.

CRAC. Ex Officinâ Valeriani Piątkowski.

IN STEMMA
Almæ Vniuersitatis Cracouień.



Florete Sceptra, Ver nitet vobis nouum!
Pulchras virentis Laureæ ornetis comas?
Diuus IAGELLO posthumæ stirpi dedit,
Florere Sceptris in Academię iugis.
Credin' renasci posse, sceptra, viuido
Vigore rursus? Regiæ iubent manus:
Et ominari licet: Eis nam Laureæ
Iunguntur, hę flores virescentes dabunt.
Florete: Philosophia quę multum potest,
Concedit, ecce Vére nunc LICENTIAM!

FLORENTISSIMÆ & INCLYTÆ VNIVERSITATIS STVDII CRACOVIEN.

Perillustri & Adm: R̄ndo Domino,

D. ADAMO OPATOVIO, S. T. D.

& Professori, Canonico Cracouien̄.

GENERALI RECTORI:

NEC NON CLARISSIMIS & EXCELL: VIRIS

S. Theologiæ, Iurisprudentiæ, Medicinæ ac Philosophiæ Doctoribus & Professoribus.

DOMINIS & PATRONIS COLENDIS.

JOANNES RACKI, Secundæ Laureæ Candidatus. F. P.

INter amænissimos florentissimi huius Regni applausus, & tripudiantis Academiæ festiuas acclamationes, Ver ego Vobis Viri Academici, Domini & Patroni, vnicè semper obseruandi præsentandum offerendumq; esse existimaui. Multis Tempus hoc, mihi sese insinuauit ad lætitiā indiciis, & pro iure suo, infantilem licet à me, attamen auspicatam extorsit dictionem. Vt enim prætеream, tempori Verno, omnes mundi indigenas, vel eo necessitudinis vinculo obligatissimos esse, quod Ver, auspicatò, omniū temporum primitias, & mundi, cuius sumus omnes inquilini, nascentis incunabula fouerit; erit sanè quod bono gratuler omnine Vniuersitatem hanc florentissimam, cum vniuersi huius aspectabilis naturâ gentilitia effloruisse & hucusq; efflorescere sympathiâ, Vereq; suo, Ver mundi imitari; certissimo constantiæ partium suarum, in toto Vniuerso adiumento & argumento. Dubitet

bitet sanè, si quis potest, (contra Stagyritam propugnantem) de mundi perfectione, hæc Vninersitas florentißima, tantò perfectior est, quanto arctiori, cum principio suo, Vniuersitate s: omnium rerum, cognatione coalescit, & subordinatione augetur; nec fieri poterit, vt mundus hic semper in meliùs efflorescat, Academicâ Vniuersitate, nnn paribus gradibus assurgente; cum quo iam toties, concordat & fatali sorte cohæret. vno enim Voluntatis ac arbitrij Diuini, imperio gubernantur, promouentur. Etsi verò mundus hic nonnihil aliquando de sua munditie remittat; quod ipsa persæpe nimia, naturæ vteri fæcunditas, monstrosas parturiat, ad variandum decorem vniuersi plantagines, temporumq; variam & multiplicem commutationem producens, nonnunquam multitudinem confundat ad fastidium; Hæc Vniuersitas florentißima, semel conceptam elegantiam, per tot centena annorum, infuscauit nunquam, vt eius ope & subsidio Ver perpetuum, plusquam olim in Elysijs, nos omnes acturos fabulosa iactabat antiquitas, agere nunc Polonia videatur. Erit sane ô Alma Mater, vnde Tibi, vinculo gratitudinis, Poloniam obstrinxeris sempiterno; Tuis Laureis sæpius condecorata, qua lōgè lateque patet, vernans abunde reuirescit, vt superstitiosa olim sæcula aurea, laureis præsentibus præferre poßit. Vobis sanè Viri Academici, tantò conuenientius tempus id erat, quanto arctiori confinio, tanquam zephyri, Patres gratißimi veris huius, cum vere temporum præsentium, cohæretis, verumq; Ver, cum germine pullulanti, tam Almæ Matri Academiæ, quam Orbi Poloniarum aperitis auspicatum. Et quamuis longè à veritate discrepat quod fabulatur ille se vidisse dum

——————sedebat
In solio Phæbus claris lucente Smaragdis;
A dextra læuaq; Dies, & Mensis, & Annus,
Sæculaq; & positæ spatijs æqualibus Horæ:
VERq; nouum stabat, cinctum florēte Coronâ;

nunc veriorem tandem Metamorphosin incipit agnoscere credulus Orbis, dum Ver nouum, cinctum florente corona Candidatorum fauentibus oculis circumspicit. Nimirum; quis ambigat Veri, flores suos, huic deesse, dū quos Candor Academiæ germinat, plusquam calthas albicantes, aut Narcissos, Hyacinthosque, iucundiori longe omine, quam vetus Poëtarum finxerit in-

ge-

genium aduertit Candidatos. Non Martius hic Campus est, in quo Cretata ambitio, iactabundum effutiat, scænica titillatione, & ostentet Candorem, Togatam hic Palladem admirari licebit, candida tæniâ, ad immortalitatem elaboratâ, præcinctam. Nouit Polonia, & experitur toties, hinc pro candore Diui Iagellonis, erga bonas literas, non ingrato certamine, sibi exuberare candorem. dum è Platonicis his vmbrosis licet Viridariis, candidi soles, veterisq; venæ fontibus, nati reuocantur anni, qui Academica institutione, hoc vel maximè intendant & procurent, vt moribus antiquis, stantem rem Polonam Virisque confirment, augeant, adornent. Et quis non de Vere Academiæ vernantem Poloniam admiretur? quæ paßim externis nationibus effloruisse dicitur ad miraculum. Iactent olim veteres Fastos, solennesq; dies, Ver sacrum, aut Calendas & cæteras anni partes laudent & prædicent pro arbitrio, teste Cælo vel vnicum Ver contra gentes propugnabit Polonia, vnius Veris dotibus tantùm adornata, vt omni tempore virescere poßit laureatis germinibus. Tu interim ô Alma Mater benedices coronæ anni, benignitatis Tuæ, ex his floribus texendæ: vt minimi flores hi, inscripti nomina Regum & in Viridario Iagelloniano plantati, sine adustione olim alicuius Syrij maturescant, & fascientur. Nos Tibi non solùm odorem nunc consecramus, sed & perennitatem vnanimes comprecamur. Viue & flore, Datum è Musæo meo. 9 Calend. April.

CATHALOGVS
VV. DD. LJCENTJANDORVM.

Iacobus Naymanowic.
Paulus Gofki.
Bartholom: Gęmbecki.
Albertus Łowicki,
Florianus Lepiecki.
Ioannes Garnuchowfki
Albertus Weffołowski.
Iacobus Rychwalski.
Stanislaus Iarzyna.
Albertus Orłowski.
Andreas Tłufczewski.
Thomas Hunkiewicz.
Paulus Iądrowicz.
Albertus Węgrzynowic
Gregor: Goftomiowski
Valentinus Stalicki.
Ioannes Iarczynski.
Bartholō: Wiesiewicz.
Ioannes Mirowski.
Iacobus Kunowski.
Stanislaus Mogilnicki.
Ioannes Mulınowic.
Sebaftianus Konopnica.
Iacobus Komorowicz.
Sebaftianus Stryiewic.
Martinus Kafprowic.
Chriftoph: Ziōkowicz.
Albertus Szumowicz.
Thomas Podchelski.
Hiacynthus Łopacki.
Victorinus Gorlicki.
Iacobus Łodźık.
Dominicus Cromer.
Ioannes Kołdrafz.
Alexius Radlicz.
Samuel Kowalewski.
Hieronymus Badowski.

APOSTROPHE PARÆNETICA
Inclytæ Matris Academiæ.
Ad vtriusq; Laureæ Candidatos.

QUalis obrizo micat Hebrus auro:
Vel reproductis, Helicon, Viretis
Hyppocreneos, riguus, coruscans
Inter odores;
Sic ego: vernos velut Hybla flores
Sole nascentes recreans aprico
Vos reproduci gremio volebam
Mater auito.
O virescentis, soboles Lycęi,
Lechię quondam, pretium labantis
Disce maternis, generosa, statim
Viuere votis
Rite florentes, modereris, annos
Otium mollis, fugiens, teporis,
Subiuga toruo teneris ab annis
Membra labori
Vos refraganti, metuenda, contra
Stabitis, pugnax acies, stupori
Vos renascentis iuga Carroduni
Arte coletis.
Ite felices, nec ego morabor,
Et duellantes, iterate pugnas
O cerebralem studÿ tenete
Marte Mineruam!

Ver resurgentes reuocat, tepenti
Ore Narcissos, niueasqué calthas,
Verna, vos mundi reuocate, Vestrum in
Sæcula florem.
Quidquid antiquo Plato promit ausu
Quid modernorum sapit ars Virorum?
Quid Stagyrites, rudibus locuti
Dicite terris.
Qua polis adstat rubeus Bootes
Dum Serenato Cynosura Cęlo.
Exit: haud illo videas priorem
Climate Matrem.
Semper augustâ pretiosa prole
Florui: Matrem decorante fętu.
Non rugas, anni, posuêre nostrâ
Fronte trecenti.
O nimis felix ego Mater olim!
Mequé felicem soboles parentem
Clarat: ô cunctis meritò beata
Iure videbar!
Quid? feraci num gremio fatiscam?
Ite florentes super astra: rite
Laureis Vestram, redimire, Matrem
Ite phalanges,
Discat Eoę, pius hospes orę
Lechiam, lauru reducem virere.
Vere: perdiscat memoranda Phębi
Regna Poloni.

BRE-

BREVE OPERIS ARGVMENTVM.

SArmatia, postquã incõparabilẽ, arbitrio Deorũ, possedit, locorũ, pulchritudinẽ, multo tẽpore deserta iacens, & nequaquã incolas, se pulchritudine suâ allicere posse existimans, vbi didicit, esse in fatis, vt olim clarescat gloriosè, impatiens moræ, Concilium adire Deorum instituit: ibi Gradiuum & Palladem, impetrat suarum terrarum Præsides, eâ ratione rata, nulli se Prouinciæ non parem futuram. Tam Mars quam Pallas, hæreditarij Sarmatiæ presides, eam Vernantem suis adornant decoribus, Tu optime Lector legens faue, & fauens lege.

V A T E S
VERIS PRÆNVNCIVS.

GAudia, successusq; nouis successibus, auctos
Continuant superi, Regalis curia feruet
In laudes effusa tuas Academia: plausum
Prodromus ad votum terræ resonauit Olympus.
Hem terrę cæliq; decus! quę barbâra quondam
(Infandum) tumidis appellabatur Athenis
Lechia: nunc melior: fatis plaudentibus, almũ
Condecorata caput, regali splendida passu
Regnat Hyperboreos inter stabilita Triones.
Respice nunc Danaum soboles pulcherrima quondã
Græcia: iam melior non despectare propinquos:
Agnoscas, quid fata volunt! Prodibis in altum
Sed lapsu grauiore rues. heu, sola tumescis?

Æmula ſed laudum, deſpecta Polonia ſurgit.
At tu quę tanto ſplendes decorata monili
Lechia, quod rutilis te pulchrā æquauerit aſtris
Victriceſq; aquilas, toti patefecerit orbi,
Prima Iagellonicæ, defer præconia genti.
Hic prior, hic tantam ſignauit lumine pompam!
Marte togâq; potēs, celebrans hæc climata: mūdi
Angulus exilio, quę ſuſtinet axe rigenti.
Hic Prytanæum, primus auitis ſtruxit in oris
Ne qua latens mundi, ſtudijs, deſerta iaceret
Pars potior: Regi non ſufficiebat agreſtes
Inſtruxiſſe ſacris, Litauiſq; affundere luſtris
Dona reuelatę fidei. Prô Lechia! quantas
Rex tuus ille tibi, tulit, ad diademata dotes.
Sedulus ipſe tui, Rex, Myſta, Monarcha, Patronus!
Vade Iagellonidum meritis fer ad æthera famam:
Quęq; Iagellonici, natarum ſanguinis, vna
Progenies, reuireſcit ouans Academia: regno
Regalem ſobolem, ſceptris tuearis auitis:
Illa perennando fauſtâ te prole perennem
Efficiet victuram æternùm! At cur mihi lentis
Ludis adhuc teſtudo metris? Phæbūq; retorquēs
Luxuriante leues, percellis murmure chordas?
Deſuetus fortaſſe choros veteranus adibo,
Nec Parnaſſeos, potero tranſcurrere, colles?

Tu

Tu mihi tu Pymplæa cohors: Cur Lechia multùm
Inclyta Sarmaticas, famâ decorauerit oras?
Vnde dati populis mores, quid corpus in vnum,
Pulchrius vnitę gentes, mirandaq́; mundo
Prodierit ſocio generoſa Polonia nexu:
Elue, Mæoniaſq́; animo ſubmittito Vires
Deſueto: haud tantùm ipſe meis perferre lacertis
Sufficiam tremulęq́; manus teſtudine iactâ
Effugiunt, ſed Diua cohors, ſi veſtra iuuabunt
Numina, meq́; ferēt, ſuper Enthea Phocydos ātra
Incipiam, carmenq́; mea meditabor in vmbrâ.
Exitium iam forte timens ferale, relicta
Sarmatia, extremo longe diffuſa ſub orbe.
Prima quod ad pænas in terris, ora luendas
Exiliumq́; reis non eluctabile cunctis
Sufficiat, tantumq́; malis ſit dedita pænis:
Exanimis penitus, iacuit mærore ſepulta. (theus,
Nō procul hinc Scythica mæret ſub rupe Prome-
Nec procul inde, fuit qui perditus exul ad Iſtrum
Ingenio Naſo: hic ſuperi quemcunq; volebant
Perdere, vel quem perpetuo ſqualere labore
Decreuere: fuit locus hic qui vindicet omnes
Culpas, quêis ſuperi pænam, vel terra ferebat.
Non tantum Gyaros, ſi quem contingat abire,
Prodit in eixlium; triſtes vbi luridus hydros,

Aſpiceret, viuens totos inglorius annos?
Dignior ad pænas Parcis, decreta, luendas
Sarmatia & toties diris deuota iacebat,
Męſta tremens, odioſa, Hæc tandem corde volutat.
   Vſq; adeone meis iaceo Prouincia terris!
Deſpicior nulloq́; leuo ſolamine curas?
O ſuperi! ò rigidę ducentes Stamina Parcę:
Et quid ego tantum potui committere, culpa
Nulla mihi eſt, pro quo meritas patiamur inulti
Iras, cur, alij nobis meliora tenebunt?
Vlterius lachrymoſa dolet, ſed viſa repente
Erubuit, tacitâq́; ſuos formidine fletus
Plangere, quam totum mauult vulgare per orbem.
   Eſſe quoq; in fatis meminit, didicitq́; quod ōne,
Iuppiter eſt, quodcunq; videt, Diuumq́; voluntas.
Audieratq́; olim fati decreta, futura
Pergama Sarmatię, nullis ceſſura Mycænis,
Pulchra ſatis, camporum vbertatemq́; patentûm.
Non illi quondam iactet Campania molles
Delicias, non Trinacrio ſuperanda Peloro.
Nominis ipſa ſui, ſumens ex omine nômen,
Sauromatûm & Geticos pellet de pectore mores.
Mutabit Natura fidem, & miſerebitur vltrò
Tum à campis veniet, deducta Polonia, nomen.
Hanc iam plena ſpei famam tenditq́; fouetq́;

Et ſubit in mentem quondam laudanda propago
Lætitiamq́; parat dubię, nec temporis ardet
Expectare moras, iam Sarmaticiq́; ſtuporis
Se oblitam tentat, gaudetq́; Polonia dici.
Dumq́; pererrato luſtrauit ſingula viſu
Aruaq; deliciaſq́; loci, campoſq́; patentes
Conſpicit, & viridi reſonantes gramine lymphas
Gaudet ouans mæretq; ſimul. dulcedine tactam
Amplius ire iuuat, ſua ueſq́; videre Meandros
Miſta dolore tremit plauditq; (Quid æmula nō fert
Inuidia! en pulchris præponere turpia ſuadet !)
Ipſa ſuas laudat, damnatq́; interrita ſyluas.
Poſt vbi multa animo circumſpicit, omne videnti
Certior hæc, meliorq́; animo ſententia ſedit.
Vult ire ad ſuperos cæliq; inuiſere tecta,
Commoda mille ſoli, grauibus decorata maniplis;
Prataq́; camporumq́; ſitum; pulchramq́; patentis
Terrę planitiem, glebarum commoda mille,
Fertilitatis opes; cuncta hæc aperire deorum
Concilio, ire parat, Diuumq́; orare Tribunal,
Prouideat meritis, Rex Iuppiter omnibus idem.
Iamq; propinquabat ſummo decliuis Olympo
Iuppiter ex altâ qui ſingula conſpicit arce
Sarmatiam properare videt, ſi cauſa latebat
Dulce per augurium aduentûs molimina nouit.

Ne verò despecta poli sint numina, curas
Iuppiter ipse Deos passim partitur in omnes.
Hos ille in dubijs, causę si quando requirant,
Consulit, & quamuis Diuûm pater atq; hominũ Rex
Audiat Altitonans, prudentia vota reposcit.
Concilij, proprijs, non ausus fidere dictis.
Tum quoq; concilium meditatur cogere, iam iã
Tecta patent, strident versi de cardine postes
Aligerûmq́; chori sedilia regia portant.
Iam præstò constrata iacent, iam numina poscit
Triclinium: Diuos prænuncia conuocat Iris
Iris Concilij consueta vocare Dynastas.
Ancipites dubijq́; ruunt. quæ causa quietos
Exciérit, quærunt mussantes, causa latebat.
Vt patuit stellata Domus, considere iussi
Ordine quisq; suo, non confundendus honore
Vota daturus erat. Tandem Cyllenius ales
Qui Iouis arbitrio secretas panderet artes
Concilioq́; referret adest. commune profundis
Et superis Numen; proponit Consiliorum
Materiem, verbisq́; prior præiuit auitis.
Sarmatiam memorat venisse, huiusq́; videri
Causa rogat, præsentem huius comitia mentem,
Consilijs trutinent edisserit. Ecce propinqua
Prę foribus iã stabat iners, num supplice scripto,

Num dicto expediat Diuorum orare Tribunal:
(Nescia mens hominum rebus succurrere lapsis!)
Elegit tandem præsenti vrgere rogatu.
Iamq́; accessit, huic trepidę si lumina nutant
Formosę rubuêre genę: veneranda colorem
Mutauit facies, at certe mascula virtus,
Fæmineum negat esse genus, sic Thracia quondam
Harpalice graditur, tumidas sternendo cateruas:
Thermodoontiacâ vel sic pharetrata securi
Penthesilea furens, vel Opis, volscente, Camilla
Filia, gente, fluens: credas ex æthere lapsam.
Esse Deam: tantum generoso prædita cinctu
Sarmatia emicuit, Diuumq́; ingressa Tribunal
Venerat, & statim medio consistere iussa
(Omen erat voti, medium tenuisse Deorum.)
Aggreditur talesq́; exponit mæsta querelas:
Si mea Mansuris meruerunt climata nasci
Iuppiter auspicijs, si nullo crimine pænam
Promeruisse vides: Superi si legibus vllis
Sunt. si vestra nefas nocuisse potentia iurat
Immeritis, tanto cur me squalere dolore,
Permittis? nullone meas solabere curas
Pignore, nullum das finem requiemq; labori?
Cerne meas dotes (longè latèq; patentis
Sarmatię pulchram speciem referebat imago)

Si nihil, ipse, mei terras cum ex aggere primo
Fundasti digitis, indignum Numine tanto
Finxisti? cur nulla meis sunt numina campis?
Illa etiam curru Phrygios, subiuncta Leones
Mater Opis, Cybele, Superûm genitrixq́; deorum.
Despicit, & nullos temnens in nostra refundit
Arua Deos. Tantumnę Samo Saturnia Iuno?
Cecropijs tantum Pallas spatiabitur agris?
Pierios tantum colles habitabit Apollo?
Quid memorem Diuos: iratis credo reuixi
Terra Dijs: patior mea me fortuna lacessit.
Proh. hominū superûmq́; fidem! per prata vagātur
Numina nulla! sino: Fors dedignantur in istis
Sacra malis superi vestigia figere plantis:
At cur non hominum, dignaris mittere stirpem
In mea culta pater? Melius deserta iacebo
Vomeris impatiens? saltem dominentur aduncę
Dipsades, & squalens despumet gleba Cerastas.
Quo mea temperies? quid mitior efficit æther
Si deserta vocant, nullos mea prata colonos?
Talia iactabat: spes addita suscitat iras
Iret adhuc in verba dolor: quin multa locutam
Plura loqui voluisse vident. sed Pallas amicam
Pallas cui placuit iam oris habitare sub istis
Admonuit, ne cauta parum (Quid fæmina possit

Non

Non ignara) loquax furibundo læderet ore.
Finierat: blando cæleſtia Numina certant
Murmure, proſpiciunt magis, ac iuuat vſq; morari
Intuitu, placet aſpectus. Pars ſcire recuſant.
Planiciem decora alma loci: pars cætera pulchras
Diſſimulant telluris opes: piget vſq; Gradiuum
Odryſios coluiſſe lares, Geticoq́; ſub Hæmo
Degere, Cecropias cuperet Tritonia ſedes
Linquere, quin toto cæleſtia Numina cælo.
Ire & Sarmaticis certant habitare ſub oris.
Sed pater ipſe Deûm, & ſummi regnator Olympi
Temperat eximios in compita viſa fauores,
Tum ſic ad ſuperûm comitia lecta profatur.
Adueniet propenſa cohors ſtudioſa voluntas
Quando Sarmatiam meritis animiſq́; potentem
In melius viguiſſe iuuet, ſic quę modo pulchra eſt
Pulchrior interea iuueneſcet & inclyta cælos
Illecebris flectet proprijs, blandoq́; fouebit
Attonitos ſermone deos, tum quiſquis auitas,
Depromet promiſſor opes, & dotibus almam
Sarmatiam decorabit & iſthęc regna probabit.
Ipſe polus (quoniam olim terra Polonia mundo
Dicetur, cæliq́; omen nomenq́; capeſſet.)
Sentiet indefeſſa ſuper conuexa iuuamen
Cum per Hyperboreos ſurgens animoſa Triones

Murus erit; si vicinos populabitur atrox
Spartacus, indigetes, Murale Polonia fulcrum,
Supponet Cynosurę: neu terrore Bootes
Subsidat, trepidusq, suo temone polorum
Signa sub Oceanum, nunquam cedentia vertat,
Certior, ipsa polos Arctoa Polonia firmet.
Tum certare animis celebresq́; inuisere terras,
Sydereas liquisse plagas, cælumq́; iuuabit.
Huic ego, nec fines Regni nec tempora pono
Interea quoniam nostris in postibus adstas.
Nec meus hic gratis superi consessus abibit
Concilij: Fateor vacuum quod plurima fando
Enumerare queas, nec te meruisse putamus.
Nec nobis leges, nec iura æquissima desunt.
Astra suis melius, quam, legibus, orbis abundat,
Sors sed ea est mundi; sic fati stamina poscunt
Occidit, exurgit, ruit, erigiturq́; vicissim:
At nunc (fabor enim) quoniã te hæc cura remordet:
Sic fatis placitum, decretum hoc Atropos vrget
Sauromatûm Geticumq́; ferox mutabere nomen.
Non antiqua tuis non assueta otia terris
Deses ages, illic quo callem semita monstrat
Difficilem, Virtutis opus, vestigia figes;
Inuia virtuti nec erit via, nec prius vnquam,
Culmina cælorum possis iterare secundò.

Nec licet admiſſa es, ſellas retinere Curules,
Ni quęras virtute locum. Iam teq; tuamq́;
Progeniem, fortis, nodo virtutis obarma.
Hanc ſua poſteritas colat huic aſſueſcito, dixit.
Qui vis promiſſas retinere Polone Curules.
Erige ſpes animoſa tuas, & nomine Mater
Cum veteri, vetus, è membris expunge veternum
Iam Lechos, Leſcoſq́; tibi Piaſtoſq́; fideles
Et Boleſlaos Vladiſlaoſq́; videbis,
Felix Poſteritas? & fauſta, propagine Mater
Vandale quos proceres? quę lumina! quanta videbis
Pignora Lechiacis, olim fulgentia campis?
Singula quid memorē? Cernes monumenta tuorū.
Pulchra virûm: poſt ſparſa ſuis, diuiſaq; membris
Diffides tecum; diſcordiaq́; arma ſequêris
Tum poſt vnanimi firmabis corpore regnum.
Iſtrumq́; Tanaimq; Boryſthennemq́; ligabis
Oceano & rutilis notiſſima facta ſub oris.
Marte togâq́; tuus quondam celebrabitur axis.
Ipſe tuis vltrò Fautor fèlicibus auſis
Annuo: ſit Fatum: Voces adamante notauit
Clotho nectareis ſubiungens ſtamina dictis.
Iamq́; relinquentes Iouis alta Palatia Diui
Surgere, Concilij tectiſq́; exire parabant.
Protinus exurgens mediâ ſummota curuli,

Purpureas præcincta comas, atq; ægide fortis;
Gorgoneâ sic Pallas ait. Quid Magne moráris?
Iuppiter æternas stabilire penatibus oras,
Promissamq́; fidem iussis explere paternis?
Exequar ipsa tuam nata exactissima mentem
Non desis Virtute tuâ: sic Pallas abiuit.
Gradiuusq́; Pater, cælestia vota sequuntur,
Iuppiter his plenas vires concessit agendi
Conceptumq́; plagis istis afflauit amorem.
Interea Nox nigra comas, tristesq́; tenebras,
Cymmerijs secum veniens deuexit ab oris.
Illius est partûs Fatum Parcęq́; nigrantes,
Edidit hęc nulli Dea Nox coniuncta marito.
Corpora, tum lasso, defessa labore, quietem
Captabant; iam Terra silet, silet arduus æther.
Omnia blandifluo, resonant Elementa sopore,
Sic bene compositis; Quis numina fallere posset!
Suauiter incipiunt rebus mollescere fata.
Iam Lechiam vocitare libet camposq́; Polonos:
Stamina deproperant parcę: Fatalis vbiq́;
Serpit Honor Lechiæ, iam Fortunata futurę
Gloria gentis ouat. Terrę præcurrit Idæa
Spes vultu magnas, geminans. Hac nulla Platoni
Maior erat vasto quas enumerabat Olympo.
Multa alia accedunt: certatim ex arce parantur

Ire perennantes Lechiam per sæcula Fasti.
Prata virescenti ridentia flore videres,
Exultare nouis Rumorum plausibus vltrò.
Pergama subsiliuntq́; domus: non pulchrius vnquã,
Ad sonitum Cytharę, solę sine viribus vllis
Architecto hilares steterunt Amphione Thebę;
Debita staminibus Lechię, vrgent tempora parcę
Quis tibi nunc Gradiue Pater præconia gentis
Fingit amor? quales tum præsagire licebat!
Fulmina bellorum, metuendos Marte strategos?
Iám redit illè vigor, genti quem Iupiter olim
Afflauit. Vario Lechiam natura tenore
(Sic parcę iussere) ornat: iuuat vsq; supremi
Auspicijs cæpisse Iouis, superumq́; rogatu.
Quę nunc Sarmatia est? quę olim? tum quãta fuisti?
Iám famam turbati in se conuerterat orbis:
Vicinas gentes & proxima regna capessens,
Sæpe triumphalesq́; ferens ex orbe coronas
Deuicto: Fatis respondent facta Deorum.
Quis memoret toties deiectos artibus, hostes?
Atq; rebellantes iterum sub signa redactos?
Iám sua pacatis, crescebant rura colonis.
Pax post bella vigebat iners, studioq; salubri.
Pallas Martisonam gentem decorare parabat.
Non secus ac quondam post bella illata Sabinis,

Romulus excessit, venitq́; in compita Numa
Pacifera arte studens florentem reddere Romam,
Sic Lechię tranquilla quies, & pacis amica
Simplicitas properata plagis florebat in istis.
Non tamen, heu diuturna quies! Erupit in orbem,
Perfidia, & tantam terris inuidit auitis
Tysiphone famam mouitq; cupidine rixę
Teutonicos hostes, in mutua bella ruentes.
Quo properant? quo stulta superbia traxit euntes!
Quo Ciues stricto, iugulis Ciuilibus, ense
(Infandum) ruitis, quo perfida trudit Enyo?
His pugnarę animis Lechici telisq; Monarchæ
Vincere, continuo bellis vinciq; solebant.
Nam dubitabat adhuc fallax Rhamnusia vultu
Libertate regat, num barbara flectat habenis
Seruitioq́; premat populos: & post, vbi vidit.
Ingenium, ac animos generosos indole: dignos
Orbis ad imperium. Constans decreuit apud se
Ferre Virum, Regemq́; simul, fortemq; piumq;
Mittere, qui gelidos posset saluare Triones.
Iamq́; fauet Fortuna, fauet procliuis Olympus
Quis dubitet mundi hæc non optima compita fingi!
Iam Lechicas Litauasq́; eadem Fortuna sub oras
Ignotis sufflata Notis, rapidisq; quadrigis
Migrauit, totoq; virum quæsiuit in orbe,
Iam

Inuenitq; & post multos gauisa labores
Complacet ipsa sibi, tandem Lætare profatur
Lechica gens tibi iam constans Fortuna parauit
Inuenitq; decus: non amplius ipsa Polonos
Sollicitis curabo modis. En rite Patronum
Adduxi: secura tibi hos concredo Monarchę.
Ipse foue terram, & gentis fer ad æthera famam.
Dixerat. Aspexi, stupeoq́; & promptus amore
Exclamo: dixisse aliquid reuerentia suasit
Tu Iagello Vir es? nunc Te Casusné Deusné?
Attulit. ò animis pridem exoptate Polonis!
Accipe Lechiaci Vir gubernacula Regni.
Plura loqui prohibebat Honor reuerentia mentem
Compressit, venerorq́; Virum plus ore silenti.
Extemplo, petit ille capitq́; & Sceptra Coronasq;
Arripit, inq; manûs vltrò properata recursant
Sceptra, Coronę, & Magnanimi diademata Regni.
Quam sensere pium! præsagiuere potentem!
Itur in arma: potenter decertatur vbiq;
Quę prius hostiles animos, vicinia sumpsit,
Vel quę fraudis amans, prędam bellumq́; cupiuit,
Nunc iam pacta rogat. pacemq́; & fædera sancit
Vel timet efferri, vires in prælia mittens,
Vel quoque dissimulat, sub signa rebellia bellum.
Haud secus imbelles agnos & ouilia pulsat;

Vrſus, quando greges, videt à paſtore relictos;
Aſt vbi terribiles pugnax commotus in armos
It Leo, non maleſuada fames, non murmure venter
Incitat, in trepido, præſert reſidere cubili:
Tum leo pacificus gregibus, mæſtumq; timorem
Expellens, tutâ iubet hos proludere arenâ.
Talia dum Iagello facit, non amplius illi
Inſûltant quondam tumidi; conuallibus, hoſtes:
Vtq; velint alij pugnam fortuna ſubacti
Terret Teutonici, qui nuper in arma cucurrit
Sanguineq; infecit colles, & ſtrage cruenta.
Infamatq; rudes ſcopulos. & fluctibus æquor.
Non illum iuuêre doli, non vafra Boruſſi
Ordinis ambitio; toto pugnauit Olympo
Adiutore: Iagello, ſuaſq; ſacrauerat haſtas:
Iam tum pax ſuper orbe volat, lætatur apricis
Terra vijs paſſim reſonans. Quiſquamne Tuarum
Diue Iagello poteſt præconia mittere laudum?
Feſſam continua pugnâ, belliſq; frementem
Cepiſti Lechiam, tutam modo ab hoſtibus effers?
Erige, protege, ſunt etiam, hic, ſua præmia laudi:
Ante pererrabunt per gramina præuia Phocę
Et prius ætherei venient ex orbe Planetę
Ante per aera diſcurrent impune Leones
Quam tua de Lechico diſcedet pectore fama:

Immortale feres nomen prô talibus ausis.
Iam Fauni Dryadesq; fremunt facilesq; Napæę:
Exilit, hesterno venas inflatus Iaccho
Silenus: passim Melibæus in arua remugit,
Et Mopsus, Corydonq; choros, lætusq; Menalcas
Intonat & resonis respondet vocibus Echo,
Vox modo: Corpus erat: quando Narcisse figuram
Esset adorta tuam, sed tu implacabilis, illam
Fecisti resonis dictis tabescere Nympham.
Exporrecta suis fluitat Prouincia culmis
Cæruleæ & per prata exultant fluminis algę,
Otiâ pacatis tranquilla Polonia campis
Agglomerat: Lauros victrices Marte secundo
Æternaturis affigit postibus; ipse
Iagello soluens Diuorum Vota fauori
Templorum molem delubrorumq; fouebat
Munificâ pronâq; manu: scit Cracia, quantis
Scis Vauelle, nitens spolijs. Quis cuncta referret?
Quæ non posteritas, quæ non mirabitur olim
Progenies? Rex ipse suis baptisma Colonis
Confert? Sacrorum Diuus, Rex, Mysta, Patronus!
Interea Pax cuncta regit, Rex ipse labore
Fessus forte leues, captabat lumine somnos.
Pallas cui studijs decoranda Polonia venit,

 Impe-

Iā grauida imperio regionū; haud im̄emor olim
Imperij Iouis, vt faceret, quęcunque videret
Ad decus & famam gentis (namq́; ab Ioue summo
Plenipotens demissa fuit.) meditatur in altum
Commodiore viâ Lechiam exaltare potentem,
Illa animo tandem, melior sententia visa est.
Ire palam ad Regem studijq́; exponere causas
Commoda mille referre scholę (cognosce Mineruę
Consilium, è cerebro Iouis ecce fatebere Natam!)
Iamq́; propinquabat: Rex ipse sopore grauatus.
Reclinisq́; thoro recubat. Vigilasné Deûm gens?
Pallas ait: vigila, rebus ne crede secundis
Ipse pater Diuûm, me clara emisit ab æthra
Cui domus hæc, cui Sarmatia olim didita curę
Vt Musis Lechicas artes atq; ægide obarmem:
Forsitan à studijs, melior, quam Marte secundo
Spes erit, eia scholis generoso consule Regno.
Ingenuasq́; artes, famamq́; hoc nomine firma.
Dixerat & subito tenues migrauit in auras
Regaliq́; animo spes inspirauit opimas
Ille sed ignarus, rerum: quemquamné Deorum
Esse putet? variam ludantné insomnia mentem.
Hæret in ancipiti biuio: sed conscia facti
Mens monet; ergo refert. Iam iā tua Numina adoro
Sancte pater, vestrumq́; tenax venerabor Olympum.

Leucothoe tenero præludens forte Diei
Ex Hyperionio, properat iam flumine Phæbus
Et Pyròénta iugat Phaetonteosq; iugales.
Mane recollectam Iagello per atria mentem
Discutit, & celerem nunc huc, nunc diuidit illuc;
Hæc etiam secum: Malimné resurgere fædam
Barbariem? cur non potius bene docta videbo
Agmina, vel studium proprijs plantabo sub oris?
Græcia quid nostris maius retinebit Athenis
Quâ se laude potens celebret? quo munere iactet?
Quam vinci renuet? vincetur & æmula quondam!
In studijs studiosa suis quę Lechia surget!
Plura dies referet: Nunc sancta Oracula sunto,
Quę superi iussêre, rata est sententia: Fiant.
Protinus Orator qua Sequana gurgite tranat
Parrisios discedit (ibi si quando relictę
Graiugenis Musę cessêre noualibus illuc
Consedêre: solent exinde migrare per orbem)
Hos petit Orator, sibi fit commissa potestas
Ære professores patrio, traducere Regno
Quidquid vbiq; boni est. Craciã aduectare iubetur.
Post vbi discessit, Doctorum fama vagatur
Præcurritq; viam studij dulcedine: iam iam
Aduentant, Craciamq; petunt: Regalis vbiq;
Hospitibus statuit dignissima præmia splendor.

Lecha

Lechia quam gelidos his cõndecorare Triones
Et potes ac audes! his digna per omnia fatis!
Nunc mihi nunc Helicone Deę, nunc viribus ipſe
Deficio: narrate ſub oris qualiter iſtis
Tranſplantata fuit florens Academia, quales
Progenuit fructus, nunc Phæbe accede volenti.
Maius opus moueo: faueas: non Icarus eſſe
Dicar Hyperboreo notiſſima fabula Pônto:
Accelera ò Vatum Pater: heu exterrita neſcit
Subticeat dicatné aliquid mens! admonet vltro
Tun' inſane ſcies immenſum luce Phaneta
Mirari nedum prælustria ſcribere facta!
Conticuiſſe iuuat Magnis indigna ferentem.
Sic venêre Viri Gracijs Academia luſtris
Exſtruitur, Iagellonico pulcherrima ſumptu.
Pallas ouât, Gradiuus ouat, cæleſtia plaudunt
Quas ilis, cernunt, Academia proferet artes!
Terra, quod inprimis, conſueuit, talibus amens
Obſtupuit, mouitq; ſuas formidine cautes.
Terribiles Formæ, iam tum, de finibus imis
Exilium vel ſponte petunt, iam prima refugit
Barbaries, cæco Ignorantia lumine: paſſim
Turba rudis volucrum paſſim aufugit Harpyiarum.
Aufugit, improbitaſq;; doluſq;, & neſcia Recti
Perfidies, claudusq; pedum inſanuſq; Cerebri
Liuor

Liuor, & error edax puerorum terga ſtudentûm
Te quoq; commemorant fugitaſſe per atria nudam
Stultitia! occultis tantumq́; latere cauernis.
Singula quid memorem! ſi quondã Crimina in orbẽ
Irrepſêre locumq́; ſibi ſine lege petebant.
Cum morbos Pandora & crimina pixide ſoluit
Non ſecus è Lechicis fugitabant Crimina terris.
Degenerabat enim tetri ſecura tumultûs
Pulchrior hinc, & tanta breui diuortia ſpectans
Erubuit: ſeſe mirata Polonia: forte
Ipſa ſuas non cognoſcens mutata phalanges.
Qui modo fædam hyemẽ, triſtemq́; per arua rigorẽ
Elongatus agit Titan. prælusit apricis
Iam propior Lechicis Ver eluctabile campis,
Poſt vbi ſe penitùs circumſpicit, æmula grates
Prima Iagellonico, quod munere pulchrior iret
Exclamat: Cerniſné tuas Dux optime laudes!
Vnde mihi hæc? Flore fortunatiſſime Regum
Viue, vige, noſtros dignate iuuare penates.
Non ſi gemmiferum, mihi tranſportaueris Hebrum
Non ſi ripa Tagi, vel me Pactolus inundet
Aurifer, haud tantùm valeam his diteſcere donis
Quam dum ſit complexa ſinûs Academia noſtros.
Gratior interea Lechicum dominatur in orbem
Virtus, iam ſua ſigna ſequi, iam Caſtra Polonis

 Expli-

Explicat, imperium in terras Academia suaue
Docta tenet, iam per multas eôdemq́; tenore
Vixit Olympiadas, non illi Gallica præfert
Se schola, non aliæ quascunq; impensa nutriuit
Ausonia, in medio Lechię doctissima haberi
Promeruit. Proh quanta tenes monumenta Polone
Vnica quam peperit, vobis Academia famam?
Ipsa triumphatos cernens pręgressa Triones
Gloria vbi Hesperios plausu peruaserat agros.
Facta Patrum, monumenta Virûm, studiumq́; fidelę
(Infandum) narrando; ciet dulcedine laudum
Inuidiam. Hanc alibi infensam melioribus, vltor
Liuor progenuit, dum Nox pullata volaret.
Mille oculosq́; dedit natæ atq; illudia Momi.
Sæuijt illa ferox sed nil profecerat, imo
Inuidiam sese monstrauit, & inclyta Virtus
Promeritum fatale ferens hanc strage peremit.
Tu nunc, quid taceam? qui Iagellonis auitum
Nomen & omen habes Tu VLADISLAE ferocem
Inuidiam pressisti, & faustâ compede vinctam
Ne quid, inulta gemens, frustra moritura, patraret
Aeternâ tenebris squalere in nocte dedisti:
Quod Tibi post famam nomenq́; perenne parabit.
Fortior inuidiâ tum mox Academia surgit
Pulchra comas, florens hederis, & baccare, plena

Perpetuam ſeſe properat præſtare perenni
Progenie, ſucceſſurâq; in ſæcula ſtirpe,
Lechica, tum tradens, propriẹ Reſpublica, curæ
Hoc Fortunatum Regni & generale Lycæum;
Præſtiterat, quantùm poterat. Dij plurima genti
Retribuant, Lechiamq́; perēnem hoc omine firmēt.
Diſcite maiorum veſtrorum facta Poloni!
Regnorum molem, maieſtatemq́; potentûm
Non dubiè veneranda parens Academia fulcit:
Hinc Lechicę gentes primâq́; ab origine Reges
Hanc IAGELLO tuam vero de ſemine natam
Ornabant Matrem fundamentumq́; putabant
Corruere illa nequit magnâ Regni abſq; ruinâ.
Sic vbi Doctorum promotio facta fuiſſet
Cancellarius, hic, ſtudij Regniq́; Supremus.
Arte probare Viros, rigidoq́; examine mentes
Debuit explorare: ſibi hanc Reſpublica curam
Credidit, vt dignam Regno producere ſtirpem
Doctoreſq́, creare ſuo, de more valeret.
Sic pietas! ſic priſca Fides, ſic inclyta virtus
Suaſit, & ingenui patiens Fortuna laboris!
Sicq; biennalis, per multa volumina longi
Temporis ordo fuit. ſic alternando duorum,
Annorum doctos felix Academe Magiſtros
Mittere debebas Lechiæq́; hoc ferre Tributum
Veſti-

Vectigalis eras, hæc vectigalia ſoluens;
Hem quantum auctus ijs eſt vectigalibus orbis!
Nunc quoq; redde tuas Doctorum rite Phalanges
Succeſſiſſe opus eſt. alij dum morte recedunt,
Flebilis hic nobis, nigro & carbone notandus,
Annus ijt; Parnaſſum hunc Mors ſpoliauit honore
Scis bene quos morte amiſiſti Lechia ciues!
Et meminiſſe potes. Iam nunc Academe labanti
Conſule, fata ſinunt: tantas ſupplendo ruinas.
Fini eram: vlterius ſic Pallas ab ore profatur:
Tu nunc ZADŹICIÆ nauis Nauarche IACOBE.
Tu Cracijs poſitus digniſſime Præſul in oris.
Munus vtrumq́; tenes: Cuſtos totius ouilis,
Tu templiſq́; ſcholiſq́; modus, columenq́; Lycæi.
Eia age Magne Pater, benedicto atq; auſpice Voto
Proſpiciens ſummo, nunc fortunatus Olympo
Annue: noſtrorumq́; iuues Matriſq́; labores.
Vberibus quondam proprijs Te Academia natum
Lactauit, Patrem nunc Patronumq́; ſalutat:
Tu Venerande Pater Matri gratare benignę
Atq; rates eius ad fauſtum dirige portum.
Et vos ô Capitolini præclara Vauelli
Progenies Vobis Capitolli immobile ſaxum
Incubuit; vos rite tenetis Sceptra Coronaſq́;,
Vtraq́; Regales, inter decorata, maniplos

Vernent Regali ſeruantia lege tenorem
Et pulchro facite vt vireant per ſæcula nexu.
Ad te iam Magni properabo vicarie Phæbi
PVDŁOWSKI Tantę PROCANCELLARIE Matris,
Dicamné an ſileam? penitus defixa ſub vno
Obtutu mens hæret, & iſtis laudibus impar
Incipiat, ſtupeatne? ſtupentem amor obruit ingens
Sola tuas Erato laudes celebrare cupiuit
Vranieq́; Tuum cælis inſcribere nomen;
Impar, ſed vinci ingenio maiore fatetur.
O Decus ô noſtri cætus laus, en erit vnquam
Illa dies, quando valeam tua dicere facta!
Iamq́; Academię debes aſſumere faſces
Ipſa tuam depoſcit opem, Tu conſule ſi quos
Ex Helicone rapit, mors improuiſa ſtrategos.
Suffice Maternis reſpondens conſule votis
Palladioſq́; Academię proferto nepotes.
Iam Tibi, caſtra ſuis paſſim legionibus ibunt
Caſtalię inſurgent acies: iam quidquid vbiq́;
Græcia deprompſit ſacris oracula Delphis!
Vel quod in Heſperijs adytis Sapientia luſit
Per te Academię, pleno fert Copia cornu.
Cum noua progenies Matri ſuccreſcit auitę
Natiuos Lechię referas ex ordine flores
Vernantemq́; nouo, tuearis odore parentem.

Et vos ô Zephyri doctissima pectora nostri.
Aspirate nouis faciles florentibus ausis.
Verum Ver Lechicis præstantes, floribus aruis
Quis MAZVRKOVIVM medicis doctissimum in herbis
Quis CYNERSCIADEM Suadæ torrente fluentem.
Quis SPERONOVICIVM Sophico sudare labore
Nõ videt? irriguus Academi vt floreat hortus?
Parnassusq; nouo, florens recretur odore?
Hunc vestrũ numerũ haud miro sine numine cerno.
Quisq; Triumuir hic est, Vestrum quemcunq; videbo
Vnicus ecce trium sibi vendicât ipse laborem.
Annuite ô Proceres nostram & firmate Cateruam;
Quo vultis, fluimus, vestigia vestra sequentes.
Pectoris, at docti Ver, vos nostrum ore fouete.
Hic iam Pallas ouãs (quoniam se cura studentûm
Concernebat,) ait, Iagellonicasne Phalanges
Lechia vis! num nostra tuas spes lingua fefellit?
Progredere ô soboles, teq; ad clarissima defer
Culmina, Lechiaco lûstranda Trione propago:
Ito biennalis studij, persolue tributum
Et patriæ gratare tuæ, te Pallas adoptat.
Elegio I soboles Heliconis, & ordine perge
Pro virtute, potens acies pugnare Mineruę.
Tu prior ante omnes quem gloria plena tuorum
Ornauit NAYMANOWIC assume decorę

Mentis opes: Formoſa tibi monumenta tuorum
Prælucent, virtute magis quam nomine nixus
Magnanimus, ſollers, conſtantem dilige famam
Sic Patris & Patrui nomen celebrabis adultum.
Inſequitur GOSKI quem certa modeſtia fingit
Sedulitaſq́, pio ſublimis munere laudat
Antiquiué Patrum mores pectuſq́; redundans
Ingenij gazis, & prodiga Muſa laboris:
Perfer & obdura feret hæc tibi fama leuamen.
Te vero GEMBECKI quêis cumulemué notemué
Laudibus? ô ſublimis idonee ſemper honoris
Nunc quoq; cõſequeris; Te prouida, rite magiſtrum,
Virtus magnorum & ſtudiorum fecit Atlantem.
At tu ſedatis LOWICKI aſſuete Camænis
Quadrato conſtans ſtudio ſtadioq́; recurris:
Cerne bona auſpicia, humanis nunc altior ibis
Ter magis aſcendens Clarij conuexa Senatûs.
Approperas, fateor, LEPIECKI rite ſequendo;
Fruge Cleantheâ vigilem redoleſq́; Lucernam:
Magnis magna fauent, veterũ monumẽta Sophorũ
Pectore conduntur q́; tuo, ſtudiumq́; fidele.
Pallas Socratico vult te tractare capiſtro
Fortis vt æternos ſtudio ſalueris in annos.
Te GARNVCHOWSKI Sceptris ego digner auitis
Emeritum: ingenuo, cui mens inſiſtit honori

Peruigilesq́; iubet studio traducere noctes:
Euge laboratum Phæbus tibi mittit honorem.
Fructus honos oneris: tibi onus fit fructus honoris.
Nunc WESSOLOWSKI propior procede secundis
Alitibus. quamuis exotica regna videres
Hesperię Ausonię magnisq́; aspectus Iberis;
Te tamen hic natiua soli dulcedo reduxit
Vt patrios animo forti tuearis honores
Cresce Iò & quem hoc ore refers imitere Patronum.
RICHWALSKI insequitur; solido vestigia passu.
Cælestes aditure plagas, quisquamné secundus
Sedulitate tuas posset conquirere laudes?
Ingenuo egregius Musis reuirescis honesto
Marte togâq́; places vtriusq; assecla supremus
Quid rear? ô certe Pallas te fortis adoptat.
Claude nouennales Musarum claude choreas
Floreq́; tu succresce prior IARZYNA priusquam
Ver violas producat agris: en rite videbis
Vt quę Chloris, hyemsq; suis conclusit in antris
Gramina, nunc viridi surgentia vere resurgunt
Et tu consimilis Zephyris spirantibus exi.
Egredere ORŁOWSKI cælestia tecta tuere.
Non cuiuis dabitur tantos transmittere montes
Tu felix Aquilę proles tranare memento.
TŁUSCZEWSKI properas habita succrescere famâ

Lauriger æternùm feriens cùm Pallade fædus
Appropera felix quis obex his auſibus obſtet?
Feſtinando tamen veteris reminiſcere Lentè.
HVNKIEVI ſollers animo, doctuſq; referre
Diuitibus quid doctrina & quid proſit egenis!
Nimirum Ars inopi eſt aurum ſed gemma potenti.
Hoc natura parens tibi Recti præſtitit olim.
Iudicium, vt doceas quę recta futura videres
Gaude: corporeo nam animus tibi præſtat honori.
Qûid nunc IĄDROVI vero decoratus honore
Aſpice quam prædulcis honor, Virtute paratus
Omnis honor veluti de cortice nucleus exit:
Dum latēt ille, parū eſt, ſed vbi apparebit, opimū eſt.
Nec tu Pannonicis præludis honoribus olim
Sed Cracijs WEGRZYNOVI productus in oris
Ludis honore pari Cracię tibi abunde Camænę
Applaudunt, & tu plaudas, tibi plauſus honos eſt
Sic in honore pari, paribus laudabere votis
Nūc agito GOSTOMIOWSKI quid cætera proſunt?
Cum labor ipſe tibi multas conceſſerit artes;
Ipſa labore venit Virtus; venit ipſe labore
Verus Honor: ſic Fabricio dum finderet arua
Sceptra labor genuit, ſuccreuit adorea triplex,
Regna labor ſtabilit: Gaude: te namq; laborem
Pierides docuêre ſuis Heliconis in hortis

Spargite Pierides vatem: proferte liguſtra
Ferte roſas, noceat ne vati lingua futuro.
Gratior accedis Matri gratare laborem
STALICKI: nemoroſa videto noualia Craci
Hæc làbor excoluit: Felix! Adamantis ad inſtar
Ipſe labor certans non ferrea pectora franget.
Quod tibi IARCZYNSKI munus pro laudibus iſtis
Quem tibi maiorem Pallas genuiſſet honorem?
Indolis egregiæ Vires, non inuida certe
Melpomene Heſperijs ſimilem proſpexit in oris.
Eia tuo felix generoſo pectore gaude
Quo te fata vocant, & quo Deus ipſe ſequare.
WIESIEVI facilem Te pulchra modeſtia præfert.
Temporis illa tibi ſedata apparuit ætas,
Eſt numerus tempus, numeri numeramur Olympo
Tuq; prior rutili curſus numerabis Olympi
Quando Mathematicis celebris laudaberis oris.
A te MIROWSKI, ars armamentaria regnis
Vtiliora facit, certum eſt, nec falleris; orbi
Imò tuam ſuppone fidem, nam vera doceres.
Pro tantis meritis te olim mirabitur orbis.
KVNOVI facilis doctuſq; polire iuuentę
Ingęnium: quid enim non olim ſponte politos
Eſſe Viros, quos nunc iuuenes, ſpectabis adultos?
Naturę conſtans, ſic fert vſuſq; moduſq;

E mi

E minimâ magnos producit origine fætus.
Euge MOGILNICKI venientem ſuſcipe laurum,
Prodromus, ille tibi cûi tu quoq; prodit abunde;
Sanguine qui Cracias proprio luſtrauerat oras:
Ille Patronus honore beat te: ſuſpice cælum
Aduentare vide; tibi iam diuina recludit
Præmia Pierio quem tu ſermone probâſti
    Nunc agite ò celeres numerumq́; replete nouēnē
Vos olim primum ſimul accepiſtis honorem
Et ſimul vnanimes certatis honore ſecundo:
Ipſa tibi generoſa cohors, Pymplæa propago
Ipſe nouenalis, moderator Apollo Senatûs
Pandit iter, vos & dignatur honore ſecundo.
ite, nouennalis Muſis dilecta caterua.
Perge prior MVLINOWICZ ſociaſq; Phalanges
Anteueni, tardos obices Phæbea reſoluit
Dextera, quin implet magnis iam laudibus aſtra:
Tu per Olympiacas fluitare intende coronas.
Nonne tuę KONOPNICA vides quam fauit ab alto
Magna parens natura, ſpei, namq́; auſibus iſtis
Finxit conſimilem; magnos acquiris honores
Non impar, videas quo te fortuna receſſu
Eſſe velit, quem vult natura fouere ſtrategum.
Tertius aggrediare tuam generoſe cohortem
KOMOROVI, ſi forte velis Ciceronis alumnus

Esse potes. placito sollers incumbe labori.
STRYIEWICZ solido natus vernare decoro
Qua Parnasse tuus consurgit, in Astra biuertex
Accelerat non ille animus, terrena fatigat
Quidquid humum sapiat, fatali sorte perosus
Calcat humum, solis animum cælestibus addens.
Digna legi Virtus! superis mens gestit opima
Altior ire polis rutilasq́; ascendere sedes:
O superi faueant faciles, his ausibus omnes.
Insequeris KASPROWIC eum qui proximus anteit
Copia mentis adest: natura æqualis honori
Egregius, superest, animum nunc laudibus ornes.
Quis te autem tacitâ ZIEMKIEVI sorte relinquat?
Hic locus est, quo se doctrina, modestia certant
Condere, quo magnę, prorumpent, pectore dotes.
Cum Phrygias olim Pallas iecisset in oras
Sponte chelym, raperentq́; Deę, diuina, fauentis
Munera, tericolę, fatis melioribus vsus
Arripis ipse chelyn. qua vel Tritona canentem
Exsuperes, placitasq́; suis Acheloides vndis:
Laudibus his erit orbis iter! iam Carpathus oris
Orphea, miratur, proprijs; si ex ordine cedit
Vnus, tu accurres numerum referendo duorum.
Nec te prætercam comes ò iucunde tuorum.
SZVMOVI, cum sponte nouas nascaris in auras

Exultas! hilarem læti genuêre parentes.
Alternis sic ire choris gemitusq; iocosq;
Ire placet : lætos, sibi lætus legit Apollo.
Lætitiæ gratare tuę, non tu optime cures
Esse quod Arcesilas ærumnosiq; Solones.
Quid modo PODCHELSKI, tãto redimit⁹ honore
Dum fueris, non vlla tuam perfringere mentem
Tesqua, laborq; ferox valeant. procede secundo
Numine namq; onerosi consectactor honoris
Pulchrior æthereis sic conspiciêre sub oris
LOPACKI ver suaue sapit lucemq; phanetis
Diligit: haud oculos eius terrebit obliqua
Segnites, properat quo publica gloria suadet.
Macte animo, & genio solidum conscende cacumẽ
Flos Hiacynthe tui, dimitte laboris odorem.
Poné sequens celeri tendit vestigia passu
GORLICKI, calcar victoria parta ministrat
Victori superest, habita modo sorte triumphes.
Circenses plausus niueasq; merêre Coronas.
Nonne tuum LODŹIK iustissima Musa Phaselum
In portu laudis magniq; fouebit honoris?
Ille phaselus erit rapidisq; celerrimus Euris
Et toto volitans famâ celeberrimus orbe!
Nec modo habet, quo nostra beet te, laudibus impar

Calliopæa tuis, tu vela expande modernis
Auſpicijs, Zephyros ſpirabunt Aſtra frequentes,
Et ſi terra neget, cæleſtia tecta fauebunt.
Approperas animoſe CROMER ſtudioq; fideli:
In ſtadio decurris iter: ſi forte tenellis
Diſſuadere viam pedibus, Parnaſſia rupes
Poſſet, & incepto dimittere frena labori,
Tu tamen hinc audentior, aſſurgiſq; veniſq;
O præſtans animi iuuenis! properato fidelis
Et Cracias memori ſub pectore conde Camænas.
Nũc age, nunc patrias KOLDRAZ in munera laudes
Lechiacis intende plagis, exempla ſuperſunt
Quæ capias: præit ipſa tibi, comitare vocantem
Philoſophia viam, quâ tu immortalis haberi
Rite potes, Sapientũ illinc primordia ſurgunt,
Conſequere; æternis tantum eſt Sapientia in oris.
RADLICZ ingenuo nimium dilecte labori
Pone ſubis, labor ipſe tibi haud infidus Achates:
Hoc duce vel Lethes ſuperare audebis aceruos.
Omnia vincit enim labor improbus aſpicé pridẽ hoc
Ipſe Maro Formoſe tibi prædixit Alexi.
Quid modo Diuitiæ! quarum contemptor haberi
Vis KOWALOWSKI, certe tibi tutius olim
(Diues enim, qui nil cupit, eſt ſed pectore Diues)
Pandet

Pandet iter doctrina ſequens quâ prendere famam
Scandere, quin poteris ſublime cacumen honoris.
Claudere nec pigeat Phæbi agmina tanta BADOWSKI
Primus es: hoc doctæ cecinerunt atria turbæ
Cum præcedenti concordat origine finis:
Finis & ipſe bonum eſt, primo natura labore
Intendit finem, Finiſq; laborat amore
Ergo age natiuos primus tuearis honores
Iam duodequadragenis ſcribare cateruis.
Finierat Pallas, luſtrauitq; agmina, faſtis
Inſcribens procerum, quos dat præſentibus annis
Inſtructas acies: Primo progreſſus Eoo
Phæbus vbi Lechicis rutilantia lumina Campis
Vidit, & arriſit, dixitque: ò Lechia! quantos
Iſta propago tuo præſtabit cardine ſoles!
Hoc erat in fatis! hoc prata Polona petebant!
Laurigeris uireant vt compita viſa coronis
Non Ariadnæis tantum floreſcet in omni
Poſteritate, polus titulis; habet inclyta palmam,
Sciuerit ingenuum penſare Polonia nomen.
Ergo age Sarmaticas dimitte è corde fauillas
Vernantes iterum atq; iterum per ſæcula campos
Conſpicies, & Carpathio de vertice, Phæbus
Non procul à Cracijs quà Vandale præfluis oris

 Prom.

Promptior Oceani egreſſus de gurgite ſurget.
Æterno Lechiam vernantem vere fouebit.
Creſce renaſcenti fæcunda Polonia campo
Dux & Hyperboreo ſoleris Apolline terras
Hanc Gradiue Pater Pallaſq́; tuere perennem:
Flore Sarmaticos exuta Polonia nænus,
In Cracijs, cras dulcè tuos ſpectabis alumnos.



Florentiſsimæ Matri
Almæ Vniuerſitati Cracouienſi
Sub vernum tempus
Anni D. 1642. effloreſcenti, nomine
VV. Triginta octo Secundæ Laureæ Candidatorum.
perpetuæ pietatis ac Venerationis ergo.

GRATITVDO.

IVcunda Mater! Porge licentiam
Orbis videndi: quid iuuat indolem
Longæuo ſepelire
Circum clauſtra ſilentio?
Luces ſereno clarior Heſpero
Per vſq; vaſti culta Boryſthenis
Tu es quam Tracius Orpheus
Cum per ſaxa repentia

Aurita mundo Sauromatas beat,
Figurat olim, Tu rudibus prope
Expunxisse Colonis
Mentes diceris efferas
Moresq; & alto, culmine, cælitûm
Virtutis addis munera. Socrates
Cælo haud pulchrius vnquam.
Deduxit sapientiam.
Regina mundi Lechiaci parens;
Effulgurantûm gloria siderum.
Ex tremo axe coruscas.
Primo munere pulchrior.
Non vsitatum, fraude Promethea
Tu multuantis regna Proteruiæ
Acceptas generosa,
Sed maiore potens Deo
Pyrrhæa terræ sæcula Lechicæ
Excludis olim, iacta iacent retrò
Viuentem referendo
Terræ saxa animam gradu.
Stupebat olim tota Deûm cohors
Quando sopito soluis ab otio
Montes degeneresq;
Cautes attonitas trahis

Fæ-

Fæcunda Nater, non ſine ſyderum
Plauſu, ſtupore, & non ſine nubium
Vilem ſedula terram
Mutas in pretium poli.
Et ſi vel vnquam perſida Lechicis
Fortuna ſtruxit bella penatibus
Tum tu Marte togaq;
Conſo pectora parturis
Non vafra mundum turba dolis premat
Non perduellis ſeditio fremat
Eſt quæ proterat ictus
Æternis vigil artibus!
Quid ſulfuratis, ignibus, inuide?
Cuniculoſis Liuor hiatibus.
Et ſi quid magis olim
Expromis rigidum nefas.
Quid Liuor audax ſubruis hanc tuam.
Regniq́, Matrem pro dolor! impium!
Inflas buccina murmur,
Hoſtis ciuibus imperI
Tentare fortunam ſatius foret
Nuſquam bifrontem! quæ licet accipit:
Statim oblita nocendi
Vertit præcipitem rotam.

For-

Forteſq; rurſus progenerat parens
Pugnæ Strategos: O Academia.
Regni prouida Mater
Fatis conſona Lechicis!
Tibi Supremi culminis arbiter
Sceptriſq; promit conſilium tuis
A te crux inimicos
Flexu ſceptrigero fugat.
Corona regni ſceptra tenet ſua,
Regni Coronam ſceptra tenent pia
Vt ſtent vtraq;, iungi
Præſtat: ſi dirimas, cadent!
Sed nunc ſerenis pulchrior ignibus
Exporge frontem: Te ſoboles Lechi
Æternùm ſore ſtirpi
Matrem Lechiacæ dedit.
Inuicta Mater! Cælitibus ſacras
Lauros perenna Fulmina non timet:
Hæc Laurus, cariemq;
Surdis deſpicit auribus
Virere tantis auſpicijs licet.
Æterna mundo Viuere ſæcula;
Iò creſce, triumpha
Nec det finis originem.

D. O. M.

Æterni Patris æquali Filio

VERBO PERSONALI

Per incarnationem abbreuiato.

Temporum omnium Sapientiæ Architectatrici:

ÆTERNITATIS VER.

Augustissimæ cæli & terrarum Reginæ

Magni Magnæ DEI Matri

Et studij Academici Patronæ

VIRGINI MARIÆ

Ex Helicone Iagelloniano decerptorum florum.

CORONAM.

Diuæ inter Diuas õnes felicissimæ

Cælestis Sanctuarij thesauro

DIVÆ ANNÆ

Prosapiæ TERNIONI ineffabili.

Perpetuum odorem.

Beatorum Phænici cælestis Paradisi

Candido & illibato Lilio,

STVDII ACACEMICI PATRIARCHÆ.

DIVO IOANNI CANTIO

Studium fidele & pro Virili imitationem: Secundæ Laureæ Candidati, deuoto è pectore conceptum secundis Veris auspiciis offe- runt

VOTVM.

ÆTerne præses, Conditor mundi Deus
Imago patris, par patri
Proles, perenni prodiens è pectore;
Seruator Orbis maxime.
Et tu parentum Maxima Deipara: sinu
Gestans Deum Virgo MARIA.
Tum tu Tonantis auia: Felici Parens
Virgine celebris: vno & ferax
Partu; salutis perditæ genitrix noua
Horumq; CANTI Seruule.
Respicite: quæ nunc postulant fusâ prece
Ex intimis præcordijs
Vestri Clientes Veris huius Candidi
Pæstana, Flores Lilia.
Vobis perennis semper adsit gloria
Per sæculorum sæcula,
Quà stelliuaga oberrat Planetarum cohors

Cæle-

Cælestis aulæ Nuncij:
Et quà Lycaoniæ, choreas, stirps domus
Cynosura gyrat debitas,
Si quod Polorum, transilit, fugiens iugum
Inane imaginarium
Hæc cuncta flexis poplitibus; in gloriam.
Vobis beata numina!
Et quà rotati subiacet mundi Chaos
Moles rudis terræ trucis.
Ignisq; aquæue & aeris statio volans.
Quidquid diurnus Sol videt
Seu insularum turba cælat; seu Thetys
Aperta pandit viscera.
Vobis sacrata ferimus ore debito
Et deuouemus omnia.
Auditis orbis vniuersi climata!
Semper Deo Vernabitis.
Vos Vota cæli accipite: quandoquidem magis
Inops voluntas quod daret
Non habet: ea litabit ferens in Victimam.
Quod iure vestro traditis:
Hæc dona vestra: studia, pietatem, & boni
Si quid tenemus amplius
Hæc desuper sunt missa terrestri globo

Rursusq́; pia mens attulit.
Aspicite cæli! nostraq́ precum munera:
Muneribus augete alteris:
Precamur homines; Vestra semper gloria:
Sit per spatia terræ omnia;
Et si videtur: (Socratis ferimus preces:)
Vera tribuite nobis Bona.

Ver Sceptris efflorescit.

S istite riguos Sceptra regressu S
Q uId capitibus hìs inuicem abit I s?
Si noN sit caput omnia res T ant
In vanu M: aliud frustra I ungitur.
Vertice s V ublato: at bene B elliger
Pugnat ua L idis iunct V s viribus:
Ergo re t-r- O grados S istite gressus.
Fallor: nam stabil E s, s C eptra recessus
Bene consti T uunt: Aspice flexum
Crucis vtil I ter signa R edemptor
Academi C a sub signa re T orserat
Cre de S? stabilis namq́ P oloniæ.
Cer n E s columen cul m E nq́ pium.
E R go columnas dando Le C hia

CRESCITE SVBITIS, SCEPTRA COLVMNIS.

Epi-

CHRISTOPHORI ZIOMKOWICZ,
Secundę Laureę Candidati.

VEre nouo reuirescit humus, reuirescit Olympus:
Vere nouo RACKI, sunt ea cuncta, tuo.
Chloris in herbosis reparat Viridaria campis
In Lechicis, flores, tu modulâre, plagis.
Ver habet, humano natos de corpore Flores:
At pingit flores, ver quoque rite tuum.
Certat ad Eurotam Phæbus generans Hyacinthum.
(Quis credat? fluuiis, flore redemptus homo est?)
Tu quoq; Vandaleo prodis de gurgite: Gaude
Quis scit! an hîc Phæbo, non Hyacinthus eris!

SEBASTIANI STRYIEWICZ,
Secundæ Laureæ Candidati, ad eundem.

PVnica mala Sophis quondā Tymbræus Apollo
Socraticis manibus dona, ferenda dedit.
Certauit generosa Cohors, in munere tanto;
Ipseq; qui misit munus, Apollo tulit.
Tu quoq; misisti Vernantia munera nobis.
An postquam mittas ipse nihil capias?
Non patiar danti non reddere munera posse:
En qui misisti carmina, carmen habe.

 Aeni-

ÆNIGMA.

DIcite, quandoquidem in vernâ prolusimus herba
Seu quis Tyresias seu quis Etruscus erit.
Sol me progenuit genitor: post æmulus eius,
Fretus Sole poli, sydera gigno Soli
Credere nec pigeat: sum solis filius: at sic
Vt velit ipse, nequit, me generare Phanes.
Vt generet, prius ipse adiungere Castora debet
Tum quoq; me, geminis, vix generare potest.
Sæpe meâ viduum decorauit origine Phryxum
Hellesponte tuas qui superabat aquas.
Tumq; ego vix nasci incipio: & non nascor vt olim
Occidat vetulum me Libythina senem
Viuam ego: iam neq; ego: immutor: sed vt ales Eois
Morte suâ viuens qui venit vsq; plagis
Cum redeo: Pæan Philomela occentat eunti.
Lætior & reducem voce salutat Itys.
Hospitium quæris? spatiosa Borysthenis ora
Nunc domus est: literis contineorq; tribus.
Me quicunq; voles cognoscere: vera loquare
Verum ego sum: falsas non bene nosco notas.

Deo Ter Optimo Maximo &
Beatissimæ Virgini MARIÆ
honor & gloria pe-
rennis.